QVÆSTIO MEDICA,

CARDINALITIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA,

IN SCHOLIS MEDICORVM, die Iouis xv. Martij.

M. PETRO BOVRDELOT, DOCTORE; Sereniſſimæ Reginæ Sueciæ Medico primario, Abbate Maſſæenſi, Præſide.

Eſt-ne homo fruges conſumere natus?

I.

HVMANVM corpus omnium viuentium præſtantiſſimum atque ornatiſſimum, καὶ τῆς πολυμηχανωτάτης φύσεως ἄγαλμα, penè innumero conſtat partium apparatu, & organorum mirabili ſupellectile. Ex his nulla eſt vel minima particula, quæ ab animâ actionem & vſum non habeat ad vitam; & quæ pro conditione debitam non ſortiatur temperiem, æquè ac propriam nanciſcatur ſubſtantiam, eam quidem ipſorum teſtimonio ſenſuum pulcherrimè conformatam. Præcipuum cujuslibet obeundæ functionis inſtrumentum eſt ſpiritus, ſiue fixus, ſiue influens. Ille, qui manat ex ſemine, ſolidas conſtituit partes, ab ortu primo ijs inſitus. hujus verò è corde proficiſcentis perpetuo appulſu, eædem fouentur jucundiſſimè, feruentque ad opus: & hinc ſingularum perfectio actionum æſtimatur atque integritas. Verùm, qui celeri per corpus vniuerſum impetu diffunditur, promptè exolueretur ſpiritus, & miſero, tùm omnis intertrimento facultatis, cùm triplicis noſtræ ſubſtantiæ effluxû, euaneſceret; niſi alimentorum identidem aduentantium vſû & gratiâ repararetur. Quamobrem alimenta perenni reſarciendæ corporeæ molis jacturæ deſtinata ſunt; quæ, quia τὸ ὅμοιον τρέφεται τῷ ὁμοίῳ, καὶ πᾶσαν δὲ ἀναγκαῖον τροφὴν δύνασθαι πέττεσθαι, ſummam ideò cum alendis hominibus conſequi familiaritatem debent; ſi modò ad coctionem elementariarum affectionum eleganti mixturâ & diſſimilitudine probè temperata.

2

II.

PETVNTVR alimenta vel ex ijs, quæ tanquàm omnium prouida tellus parens effundit, frugibus, herbis; vel fructibus; vel ex animalibus. Inter hæc excellentioris succi atque nutrimenti ἐυαλλοίωτα, ἐυπεψόσθετα καὶ δυσανάλωτα. horum communem necessitatem miserè infuscant obsoniorum artifices, ac nimiùm frequentes cibis omnibus elegantiùs & suauiùs condiendis officinæ. plus ense plectit gula; & maxima pars mortalium, nimiâ delicatiorum esculentorum varietate ac voracitate, ruit ad interitum. In paucis reperitur diuturnioris vitæ moderatrix temperantia; & vix vnus ex innumeris, cui, quid comedat, curæ sit: quòd voluptati magis studeant homines, quàm sanitati. Nestoreos exoptas menses? mensas ad salutem parato, summamque in fugiendis epularibus delitijs habeto cautionem, ac penè superstitiosam in alimentis approbè deligendis solicitudinem. Terrestrium animalium atque volucrium dissimilis multiplexque caro, principum mensarum fastus, frigutientium Lurconum certissima labes, non minimam inuehit ægrè coquenti ventriculo perturbationem; Illa, vt succum plus æquo adijcit, calidum ac tenuem, sic & corpori semper futura insalubris, atque suscitandæ putredini, bilique copiosiori colligendæ peropportuna. Inde malorum Ilias, in primis arthritis, Rheumatismus, epilepsia, insania.

III.

OVA, volatilium κυήματα, à multis recepta; recentia præstant veteribus, assis elixa, sorbilia inspissatis, omnibus tremula, quæ oleoso tamen ac pingui humore diffluunt, atque ideò nonnisi frigidioribus temperamentis tutò conceduntur. æstate pessimâ, febriles impetus accendunt, fœces indurant, occludunt meatus, & in bilem facillimè abeunt. Pisces frigidiores sanitati vt plurimùm conducunt; alij magis, alij verò minùs. Inter illos multi nocent, paludosi scilicet, & in seligendis imminet errori pœna vix emendabilis. præter pisces; olera, radices, totam naturam omnium altricem & quidquid ciborum est expendas: eduliorum nulla, quæ in hominis vsum sanitatem-ve cedunt, adeò laudabilia sunt, quàm optimæ fruges, experientiâ vel judice. Inter fruges annumerantur fructus, quos primi Parentes ex arboribus incultis magnâ acerbitate insuaues carpebant, fortè non innoxiè; sic cedit nobis, qui vni titillationi prurientis gulæ indulgentes, morborum omnium pœnas persoluimus: quod abesset, si parcè & ex lege vteremur. Quamo-

brem innumerâ ægritudinum illuuie liguritores castigantur non immeritò, qui abdicatâ prorsùs suæ hygeias diligentiâ, superaddunt mensis opiparisque dapibus rariores fructus ad vltimam vsque lucernam. verùm fructus laudabiles, si modò summâ arte, prudentiâ & electione Medicus Imperabit.

IV.

MALA inter alios arborum fœtus εὐκοίλια sunt & principatum obtinent: succo frigido & humido lubrica descendunt in aluum, intestina mole suâ distendunt, & quidquid ex fœculentis cibis excrementosum superfuit, secum foras salubriter eliminant, efferuescentem temperiem cohibent, sternuntque viam erupturæ bili. Quisquis igitur æstuas visceribus, aut grauaris stabulantibus retrimentis, his fructibus jejunus vtere, & aquam liberaliter superbibe: Sic enim aqua hærens feruentibus intestinis fit medela, perse aliàs sola beneficium naturæ paucum collatura: sic etiam fructuum putredo, eorumque fermentationis symptomata præpediuntur; sed & fructuum gratiam vix vllam esse puta, si absque aquarum commeatu soli veniant in vsum. nempè quòd ex ijs sine aquæ potu acceptis succum omnem nutritium statim haurit æstus viscerum: Tum verò à saburrâ exsuccâ & squalidâ superstite quid aliud expectes quàm segnes in ventre moras & confusaneam excrementorum sarcinam? abstineant à crudis fructibus ψυχροκοίλιοι καὶ ὀξυρεγμιώδεες, iis tamen aluo soluendæ proderunt cocti; si eorumdem succum, atque etiam aquam superbibant. Qui verò fructus in farinam secedunt, quales castaneæ, aluum firmant, adeòque cor ipsum; sed non rarò, quòd humores serosos & acres exugunt, eosque per aluum deturbant. Fructus in promulside assumptus famem & æstum viscerum compescit, quod impedimento est, ne illa celeriùs cibum infectum rapiant, aut ipsum in nidorem conuertant; nèue intemperantiùs carnibus exquisitis-ve dapibus indulgeamus; aut etiam venæ plus nimio distendantur. Eximiæ fructuum vires, sed alimentitiæ minùs, quàm medicamentosæ. Ex valentioribus frugum alimentis Cereale salubre est & euchymum.

V.

CEREALIA crescunt in aristas, aut in siliquas. hæc legumina vocantur, ex quibus panis non conficitur propter substantiæ friabilitatem. Vitijs suis corpus lædunt. communia sunt flatulentia, cacochymia, & coctio difficilis. singulæ species propriis etiam offendunt. Lenticula turbat & stringit aluum, humorem melancholicum producit, ac proindè cerebro nocet

& oculis. eadem efficiunt Fabæ, ac præterea inflant. Phaseoli turbulenta inducunt insomnia. Pisa minùs nocua. Pergamus ad aristas, quæ propriè cerealia sunt. ex illis laudabilis panis conficitur: nam propter succi lentorem & probitatem liquari possunt & concrescere. Hæ fruges præbent optimum & connaturale hominis alimentum. Hordeum quippè spoliatum glumâ coctumque diù & lentè, thoracis affectibus laboranti opportunissimum; suaui, continuo, læui ac lubrico lentore quodam pollet, qui tanquàm caloris & siccitatis obex sitim restinguit; minimè putret, & hærentes meatibus humores prauos eluit eximiè. nusquàm astringit, nec malam infert perturbationem, quia probè coctum intumuit, & non vlteriùs intumescit in ventre: hordeum tamen parùm alit, & non facilè concrescit, quæ alimenti necessaria conditio. Similiter auena, milium, panicum & oryza vix liquantur & concrescunt, ægrè coquuntur, & sanguinem crassum generant. Secale præstat istis omnibus, Tritico tamen longè inferius, stomacho graue est & flatus gignit. Quare triticeus panis vt purissimus, ita valentissimus est, vires egregiè reficit, plurimum alimentum & optimum continet, non qui ex polline, sed qui ex similâ compactus; est εὐςόμαχος, εὐκόιλιος, intestina eluit, minimùm bilis creat, & si quæ aliundè nata est, in vias intestinorum deducit. hic panis naturæ hominis ὁμόφυλος, genuinum & naturale est illius alimentum, idque omnibus anteponendum. nullum est quod in ventriculo faciliùs liquetur, promptiùs distribuatur, celeriùs concrescat & apponatur, appositumque hæreat contumaciùs, calorem natiuum diutiùs foueat, facultatum denique & functionum omnium perfectionem salubriùs tueatur.

Igitur homo fruges consumere natus.

Asserebat Lutetiæ HIPPOLYTVS DV VAL, Pontisaranus, Prior B. Mariæ Campanensis, & S. Dionisij de Vago-Monte. A.R.S.H.M. DC. LXIII.

PARISIIS,
Apud FRANCISCVM MVGVET Typographum Regium, viâ Citharæ, ad insigne Adorationis Regum.